

enim licet diu sopitum, tamen renovat. Altera ratio probabilitatis Listeri hæc est, quod *cristæ dentatæ* in dorso serpentis Iguanæ comparentes, similitudine referant condylomata illa & mariscas, quas in lue venerea adfectis sæpe conspicimus. Evidem suillæ carnes sapidæ, & si Galeno (r) credimus, optimo nutrimento præditæ, ubi à vulneratis vel ulcere aliquo adfectis hominibus comeduntur, copiosam & frequentem saniem subministrant; ipsius tamen ulceris causam propterea nemo facile in illas rejecerit. Et illa cristarum similitudo sapit quidem Chymicorum quorundam de rerum signatura doctrinam: quæ tamen non usque adeo assumta est ab omnibus, ut nulla jam ulteriore egeat probatione. Interim meretur, ut, in quem tanti mali culpa rejicitur, Iguana, Benevolo Lectori hic suam speciem ostendat, extremis saltē descriptam lineis, & ex Marggravii *Hist. Quadr.* & *Serp. lib. 6. c. 11.* defumtam, triplo tamen minorem.



Aliam rursus hujus fermenti morbifici causam Cæsalpinus (s) introducit, ex relatione militis Aretini, (ne quis teste destitutum, rejiceret) qui bello itidem interfuit, vinum nempe græcum leprosorum sanguine (horribile dictu!) in oppido montis Vesuvii Suma adulteratum, & ab Hispanis clam de nocte relictum, Gallicis postea militibus in prædam cessisse,

B

ipso-

(r) *l. 3. de Aliment.* (s) *Spec. art. med. Hippocrat. l. 4. c. 3.*